

rat, et erant valde bona, ut habetur *Genes.*, cap. 1, 31. Nihilominus postmodum uterque per se, sive propria sua culpa, factus est malus. Homo quidem in non obediendo, et contra Dei præceptum ad serpentis suggestionem de fructu vetito comedendo, ut legitur *Genes.*, III, 1 et seqq. Diabolus autem, sive Lucifer, una cum apostatis angelis sibi adherentibus, superbiendo, seque supra divinam majestatem extollendo; cujus lapsus *Isaiæ*, cap. XIV, 12-15, sub persona regis Babylonis, describitur illis inter alia verbis: *Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebam in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detrahemus in profundum lacu, etc.* Concordat illud *Joan.* cap. VIII, 44, ubi de diabolo dicitur: *Et in veritate non stetit: hoc est, in veritate fuit, sed in ea non permansit, prout explicat sanctus Augustinus, lib. XI, de Civit. Dei, cap. xv. Item Epistola canonica sancti Judæ apostoli, vers. 6: Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suam dominicium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.*

99. *Diaboli non sunt ex natura sua mali, sed a Deo creati boni.* — Ex quo ulterius sequitur, cum diabolus, alique apostate angeli dicantur in veritate non stetisse, neque servasse suum principatum, quod ipsi ex natura sua non sint mali, sed a Deo creati fuerint boni, atque in veritate et charitate, seu gratia existentes: quamvis in ea postmodum non steterint, seu ab ea sua culpa contra Deum se extollendo exciderint: prout habetur non solum in can. *Citius ad hoc. § Quod vero de Panit.* dist. 2; sed etiam contra Manichæos, et Priscillianistas, sub anathemate definitum fuit in concilio Bracarense I. can. 7. illis verbis: « Si quis dixerit diabolum non fuisse prius angelum bonum, a Deo factum, etc., anathema sit. » Concordat concilium generale verbis proxime relatis.

100. *Hæc sancta Trinitas doctrinam humano generi tradidit salutarem.* — « Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, (de quo jam superius num. 7 et 8. et seqq.) primo per Moysen et sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tradidit sa-

lutarem. » Juxta quod Apostolus *ad Hebr.* cap. 1, 1, 2. attestatur, dicens: *Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

101. *Idque secundum ordinatissimam dispositionem temporum declaratur.* — Additur vero, « secundum ordinatissimam dispositionem temporum. » Quia non oportebat totam simul ac semel doctrinam cœlestem tradere humano generi: neque enim id conveniens fuisset, sicuti non expedit: quod pædagogus statim a principio totam simul artem discipulo proponat (non enim is caperet,) sed ordinate, atque per partes, id præstandum est, ut jam dictum n. 76.

§ VI.

CONTINUATUR BREVIS EXPLICATIO SYMBOLI FIDEI IN § ET TANDEM. EOD. CAP. ET TIT. RELATI.

102. *Hic concilium generale incipit confiteri opus redemptionis generis humani.* — « Et tandem Unigenitus Dei Filius Jesus Christus, » etc. Hic incipit concilium generale, et pluribus subsequentibus verbis continuat solemnem confessionem fidei circa opus redemptionis, seu reparationis generis humani quæ misericordissime fuit peracta mediante incarnatione, passione, morteque crudelissima Jesu Christi, Unigeniti Filii Dei: simulque per expressam diversarum particularum appositionem damnat concilium complures hæreses, olim circa Christi Domini tum divinitatem, tum humanitatem exortas. Verum occasione hujus, et antequam ad particularia descendamus, dicamus.

103. *Cur solius hominis lapsi redemptio facta fuerit, non item angelorum peccantium?* — Quæres incidentaliter, cum tam angelus, quam homo lapsus fuerit, cur solius hominis reparatio sive redemptio facta fuerit, non item angelorum peccantium? Resp. I. Potissima, et principalis ratio hujus est refundenda in divinam voluntatem, ac beneplacitum DEI ter Opt. Max. utpote, *qui operatur omnia secundum propositum voluntatis sue.*, *Ephes.* cap. 1, 11. *Et non ex operibus justitiae, quæ fecimus nos, secundum suam misericordiam salvos nos fecit, etc. per JESUM Christum Salvatorem nostrum.* ad Titum cap. III, 5, 6, eum concordantiis.

104. *Non est lapsa tota natura angelica, sicut humana.* — Resp. II. Nihilominus sicut in

cæteris Dei operibus, ita et in hoc, quasdam una cum sanctis Patribus atque doctoribus congruentias afferre licet, ad ostendendam convenientiam æquisissimi judicii divini, volentis potius hominem lapsum redimere, non angelos apostatas. I. Siquidem in angelis non est lapsa tota natura, sed pars dumtaxat ipsius, aliis sanctis angelis in gratia et veritate persistentibus: e contra vero tota natura humana simul lapsa est in Adamo, primo suo parente, in quo omnes peccaverunt, ut loquitur sanctus Apostolus, *Rom.* cap. v. 12.

105. *Peccatum angelorum malorum fuit personale, non singulorum hominum.* — II. Peccatum omnium et singulorum angelorum malorum fuit actuale, sive personale, cum singuli eorum propria voluntate peccaverint: non sic peccatum singulorum hominum, cum multi contrahant solum peccatum originale, ut parvuli; atque etiam ex adultis non pauci sint, qui nunquam actualiter mortaliter peccaverunt, ut sanctus Joannes Baptista, et plures alii sancti.

106. *Natura angelica ex parte corrumpitur nullo suggerente tentatore extrinseco: secus in natura humana.* — III. Natura angelica ex parte corrumpitur, et lapsa est nullo suggerente tentatore extrinseco: licet enim inferiores angeli a Lucifero ad rebellandum contra Deum concitati fuerint, juxta quod *Apocal.* cap. XII, 4, dicitur quod *Cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum caeli, et misit eas in terram:* tamen Lucifer continebatur intra naturam angelicam, similiter ipse a nullo extrinseco tentatore fuit seductus. At vero natura humana tum in primis parentibus nostris peccavit ad suggestionem diaboli tentatoris extrinseco, tum quotidie eodem suggerente ad peccatum allicitur. Et hæc differentia ponitur hic in littera, dum dicitur, quod demones « per se, » id est, ex propria culpa « facti sunt mali: homo vero diaboli suggestionem peccavit. »

107. *Angeli peccarunt nullo carnis pondere pressi: secus accidit in hominibus.* — IV. Angeli peccaverunt nullo carnis pondere gravati, nullisque ejus passionibus irretiti, sed ex merissima voluntate, atque malitia sua. Secus accidit in hominibus, in quibus ob rebellionem carnis perpetua est pugna inter carnem et spiritum: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, et dicitur Galat. v, 17. Simulque ob hanc causam: Sensus et cogitatio humani cordis in ma-*

lum prona sunt ab adolescentia sua, *Genes.*, cap. VIII, 21. Insuper, et.

108. *Illi peccaverunt cum perfecta omnium cognitione: non sic homines.* — V. Angeli mali peccaverunt cum plena deliberatione, atque perfecta cognitione eorum omnium, quæ ipsos poterant a peccato avocare: non sic homines, quorum intellectus, utpote a sensibus dependens, plurimum est obnubilatus, atque ad considerandum spiritualia et supernaturalia valde impeditus. Proinde peccatum ex ignorantia frequens est inter homines; adeo, ut ipsemet Servator, in cruce pro suis inimicis Patrem exoraturus, hanc humani generis cæcitatem, et ignorantiam, ad aliqualem ejusdem excusationem allegare dignatus fuerit, *Luca* c. XXIII, 34. exclamans: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Concordat sanctus Petrus *Act.* cap. III, 17. dicens: *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes cæstri. Si enim (ut legitur I Corinth. II, 8) cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Justo proinde judicio, « De angelis quidem Deus hoc disposuit, et implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet, » ut loquitur sanctus Fulgentius *de Fide ad Petrum*, cap. III, atque refertur tom. IV. operum sancti Augustini in appendice. Nobis vero hominibus, propter infinitam suam misericordiam, et nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, *misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris, et Salvatorem mundi,* ut habetur *I Joan.* IV, et alibi sæpe. Nunc redeundo ad textum concilii generalis loco citat. dicitur.

109. *Et tandem unigenitus DEI Filius, etc.* — « Et tandem Unigenitus Dei Filius JESUS Christus a tota Trinitate communiter incarnatus. » Siquidem opera sanctissimæ Trinitatis ad extra sunt indivisa, can. *Omnes quos. de Consecrat.*, dist. 3. et can. *Sic enim. § Quoniam.* 28. q. 1. estque uberius declaratum supra num. 13. et seqq. solvendo etiam objectiones.

110. *Ex Maria semper Virgine, etc.* — « Ex Maria semper Virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus. » Juxta illud propheticum *Isaiæ*, cap. VII, 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel: quod est interpretatum Nobiscum Deus.* *Matth.* cap. 1, 23. juncto cap. I sancti Evangelii secundum Lucam.

111. *Verus homo factus, etc. Qui hæretici*

hoc negaverint? — « Verus homo factus, ex anima rationali, et humana carne compositus. » Hoc siquidem olim negaverunt Apollinaristæ, dicentes Christum corpus tantummodo sine anima suscepisse, ut c. *Quidam autem hæretici*. 24. q. 3. Et impii Manichæi, qui Christum non fuisse verum hominem, sed phantasticum asserebant; uti refertur c. *In quadam*. § *Nos igitur de Celebrat. Missar.* Item Marcion, qui, ut refert Nicephorus lib. IV. *Ecclesiast. historæ*, cap. xxviii, inter alios errores Christum phantasia tantum, et specie hominem fuisse, nugabatur.

112. *Probatur catholica veritas contra ipsos.* — Verum contra hujusmodi hæreticos, et impias eorum doctrinas, erroresque, stat veritas catholica, quæ non solum ex pluribus auctoritatibus sanctorum Patrum, ac conciliorum generalium definitionibus, sed etiam testimoniis sacræ Scripturæ manifeste comprobatur. Nam Christus passim in sacris Paginis appellatur *Filius hominis*, ut *Matth.* cap. xvi. *Joan.* III, *Actor.* VII, 55. et alibi: atqui hoc non verificaretur, nisi esset verus homo, habens veram naturam humanam, ex anima rationali et humana carne constantem; cum hæ sint partes essentielles hominis. Deinde, si Christus non habuisset veram carnem humanam, sed apparentem dumtaxat, seu phantasticam (ad eum modum, quo Raphael angelus in specie hominis apparuisse legitur. *Tobiæ*, cap. v et seqq.) sicque non fuisset verus homo, sed phantasticus dumtaxat; ergo is neque vere fuisset natus (contra illud evangelicum, *Matthæi*, cap. I, 35 et *Lucæ*, cap. I, 7. *Peperit filium suum primogenitum*) neque vere passus, crucifixus, mortuus, ac sepultus; et consequenter Christus nec vere resurrexisset, neque vere nos redemisset, sed apparenter, ac simularie solum: quod repugnat evangelicæ veritati, et destruit præcipua fidei catholicæ mysteria, ac proinde nefas est asserere. Quinimo ipsemet Christus Dominus post suam gloriosam resurrectionem, ne putaretur phantasma esse, vel spiritus, de veritate carnis suæ expresse testificatur discipulis suis, *Lucæ*, xxiv, 39 dicens: *Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum: palpate, et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

113. Una in duabus naturis persona. *Referturque hæresis Nestoriana.* — « Una in duabus naturis persona. » His verbis concilium generale, loc. cit. damnat imprimis

hæresim Nestorii, ponentis in Christo duas personas, divinam et humanam; ac proinde cum suis sequacibus impie asserentis beatissimam Mariam Virginem non Dei, sed hominis tantummodo matrem fuisse, quasi peperisset purum hominem, et qui non solum naturam, sed et personam humanam habuisset: sicque ipsam dici non debere *θεοτόκον*, id est, Dei genitricem, sed *χριστοτόκον*, seu Christi genitricem.

114. *Dudum jam condemnata.* — Verum hanc hæresim dudum jam condemnavit tertia synodus generalis, sive Ephesina prima ducentorum episcoporum, auctoritate sancti Cælestini papæ I, et favente Theodosio Juniore imperatore convocata; quæ imprimis definiuit manere in duabus naturis unam Domini nostri JESU Christi personam, can. *Canones*, dist. 15. Deinde afflante divino Lumine decrevit beatissimam Virginem Mariam vere dici, et esse Matrem Dei, quippe quæ vere genuit Deum. Juxta quod angelo salutante, ad Mariam dictum est *Lucæ* c. I, 35. *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*: et consequenter, sicut ille, qui nascebatur ex Virgine, vere vocabatur, vereque erat Filius Dei, ita et Mater ipsius vere dicitur, vereque existit Mater Dei. Pulchre ac verissime ad propositum loquitur sanctus Joannes Damascenus, orat. 1. *de Nativitate Mariæ Virginis*, circa initium, dicens. « Pudore afficiatur Nestorius, ac manum ori imponat: Puer hic Deus est. Quonam igitur modo ea Dei genitrix non sit, quæ peperit? Si quis sanctam Dei genitricem non confitetur, a deitate remotus est. »

115. *In salutatione angelica quando fuerit appositum ly, Sancta Maria, Mater Dei, etc.* — Et sciendum, quod ex tunc, sive a tempore præfatæ synodi Ephesinæ, in salutatione angelica fuerit addita clausula illa: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus.* (ADNOTATIO X.) Tantaque tunc ob damnatum Nestorium lætitia exorta fuit, ut egredientes ab Ecclesia episcopos populi cum lampadibus deducerent ad diversoria, et in signum spiritualis gaudii luminaria in civitate ponerent: ita ut mulieres quoque adolentes thymiamata cum thuribus præcederent episcopos; uti præter alios refert Franciscus Longus in *Breviario Chronologico*, ad annum 431. Et cum postero tempore, videlicet, anno 451. contra Eutychem hæresim, simul et memoratam Nestorii impietatem, auctoritate sancti Leonis Magni pontificis, ir-

tante, et urgente Marciano Augusto, congregata fuisset quarta generalis synodus, videlicet Chalcedonensis sexcentorum triginta episcoporum, in ejusdem *Actione V.* Episcopi mirum quantum acclamaverunt, atque definierunt, dicentes: « Fides fraudem non patitur. Sancta Maria *θεοτοκος* scribatur. Sancta Maria Theotocos est. Qui non sic sapit, hæreticus est. Virgo Maria Theotocos est. Hæreticum mitte foras. Maria Theotocos definitioni addita est. Nestorianos mitte foras. Christus Deus est, » etc. prout habent acta citati concilii Chalcedonensis, *Actione V.*

116. *Nestoriani, cur sic appellati?* — Eadem Nestoriana hæresis etiam damnata reperitur in jure Cæsareo, l. *Damnata. C. de Hæreticis.* Ubi proinde mandat, ut participes nefariæ sectæ Nestorii, christianorum appellatione non abutantur, sed « ubique Nestoriani vocentur; ut cujus scelus sunt in deserendo Deum imitati, ejus vocabulum jure esse videantur sortiti »: prout loquitur textus.

117. *Refertur hæresis Eutychniana.* — Insuper verbis supra allegatis concilium generale loc. cit. reprobatur hæresim Eutychnianam, ab Eutyche Constantinopolitano abbate sic dictam. Hic quippe, cum contra Nestorium serventius scriberet, ejusque absurdam hæresim refellere conaretur, malum malo medicatus est, ac stulte existimans, aliter contra Nestorium defendi non posse, quod una sit Christi persona, non duæ: in alterum extremum turpiter prolapsus, impie asseruit, duas quidem ante unionem fuisse naturas, videlicet divinam et humanam, sed has post unionem in unam naturam abiisse, confusasque fuisse, ac mixtionem subiisse, ut refert Nicephorus, lib. XVIII. *Hist. Ecclesiast.*, cap. 52. Adeoque negavit, Christum post humanæ naturæ assumptionem existere in duabus naturis, sed solam in ipso divinam asseruit esse naturam, can. *Quidam autem hæretici*, 24. q. 3.

118. *Ac refutatur.* — Verum sancta catholica ecclesia utrumque jamdudum condemnavit errorem, firmiter prædicans, Christum Dominum de Virgine sic natum, ut in eo substantiam divinæ et humanæ confiteamur naturæ; et simpliciter confitens, manere in duabus naturis unam Domini nostri Jesu Christi personam, can. *Canones*, dist. 15. cum concordantiis. Nam de duabus in Christo naturis plura extant sacræ Scripturæ testimonia; ut *Philipp.*, II, 6. ubi de Christo dicitur: *Qui, cum in forma Dei esset, semetipsum*

exinanivit, formam servi accipiens. Quæ verba explicans S. Virgilius, lib. II, inquit: « Mirum, cur quidam timeant dicere duas naturas, cum Paulus dicat, duas formas. » Item *Joan.* I, 14. *Et verbum caro factum est.* Cum enim natura divina sit æterna, et incommutabilis, juxta illud *Jacobi* I, 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*: Natura divina Verbi non potuit transmutari in carnem, sed, ut canit Mater Ecclesia, « Deus homo factus est; id quod fuit permansit, et quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque divisionem. »

119. Viam vitæ manifestius demonstravit: qui cum secundum divinitatem sit immortalis, etc. *Ostenditur.* — « Viam vitæ manifestius demonstravit, » tum verbo, tum exemplo, prout tradit evangelica historia. « Qui (pergit concilium generale loc. cit. loquens de Christo Jesu servatore nostro) cum secundum divinitatem sit immortalis, et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem, factus est passibilis. » His verbis iterato rejicitur blasphema hæresis Eutychem, et aliorum, qui posuerunt unam naturam compositam in Christo; atque ausi fuerunt impie asserere, quod etiam divinitas, ea quæ humanitatis fuere, passa sit, ac e contra; prout opinatum esse Eutychem, refert Nicephorus lib. XVIII. *Hist. ecclesiast.*, cap. LII. ac novissime ex Lutheranis quosdam sensisse, tradit Bellarmus lib. III. *de Christo*, cap. II et III. Sed catholica veritas expresse confitetur, Christum secundum divinitatem esse impassibilem, et immortalem, juxta illud 1. *Tim.* I, 17. *Regi sæculorum immortalis*, Et *Malachi.* III, 6. *Ego Dominus, et non mutor*, cum similibus. Unde sacra Scriptura, dicens, Christum natum, vel passum, frequenter addit *ly, secundum carnem*, ad ostendendum, talia ipsi non convenire secundum naturam divinam, sed solam secundum assumptam naturam humanam. Ut *Rom.* I, 3. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Item 1. *Pet.* IV, 1. *Christo igitur in carne passo*, et alibi.

120. *DEUS dicitur pro nobis passus, crucifixus, mortuus, etc.* — Nec obstat, quod non raro dicatur Deus pro nobis passus, crucifixus, ac mortuus pro salute mundi: ut *Matth.* xxvii, 54. *Vere Filius Dei erat iste.* Et 1 *Joan.* IV, 10. *Misit Deus Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Et *Rom.* v, 10. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Unde canit Ecclesia in festo omnium Sanctorum: « Redemisti nos, Domine Deus, in san-

guine tuo. » Et in oratione de sanctissimo Sacramento : *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti.* Item sanctus Gregorius, Hom. 2 in *Evangelia*, inquit : « Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur. » Et sanctus Leo papa, Serm. XI de *Passione Domini* : *Intulit supplicium Filio Dei*, cum similibus locationibus sanctorum Patrum, et doctorum satis frequentibus. « Nullum enim verbum (inquit Doctor seraphicus in 3. dist. 21, art. 2. q. 3.) majoris dignationis resonare potest in auribus cordis humani, quam quod unigenitus Dei Filius mortuus fuerit pro nobis debitoribus mortis. Et ideo non tantum est hoc credendum, et asserendum tanquam verum, sed etiam frequentissime recolendum. »

121. *Idque ob communicationem idiomatum; et cur?* — Resp. enim cum sancto Bonaventura cit. q. 3. sancto Thoma. part. 3. q. 16 art. 3. Scoto in 3. dist. 2. q. 1. § *Ad primum principale*, et communi doctorum, absque dubio concedendum esse, et optime dici, quod Deus pro nobis fuerit passus; Filius Dei pro nobis mortuus, ac ejusmodi: nihilominus hoc ipsi non attribuitur secundum naturam divinam, sed secundum naturam humanam, non per essentiam, aut inherentiam, sed per communicationem idiomatum. Quia enim Christus Dominus est una in duabus naturis persona, idemque utriusque naturæ suppositum: hinc propter hanc unitatem suppositi divini, provenientem ex unione hypostatica, seu incarnatione Verbi divini, assumptis in tempore naturam humanam, oritur in Christo mutua communicatio idiomatum, hoc est prædicatorum utriusque naturæ. Sive enim Christus dicatur Deus, sive homo, supponitur, atque denotatur eadem hypostasis, seu persona divinæ et humanæ naturæ Christi: ac proinde, cum denominationes sint suppositorum, verè et proprie dicitur: « Deus est homo, » id est, suppositum Verbi in Christo habens naturam divinam, est homo, et e contra, « Homo est Deus, » id est, suppositum Verbi in Christo habens naturam humanam est Deus. Qua ratione pariter verum est dicere: « Deus pro nobis passus est, » id est, suppositum Verbi, quod est Deus, pro nobis est passum non quidem secundum naturam divinam, sed humanam: talis siquidem communicatio idiomatum, sive mutua prædicatorum inter Deum et hominem, oritur in Christo ratione unitatis suppositi naturæ utriusque. Hinc sanctus Augustinus super

Psalm cxxx. « Per illud ergo, quod homo erat; mortuus est Deus, et per illud, quod Deus erat, homo excitatus est, et resurrexit, et ascendit in cælum. Quidquid passus est homo, non potest dici non passus Deus, quoniam Deus erat homo. »

122. *Et hoc amplius declaratur, simulque limitatur.* — Cæterum dictis non obstantibus sequentes propositiones sunt falsæ, ac penitus vitandæ: « Deitas est humanitas, deitas est passa, humanitas est Deus, » ac hujusmodi propositiones, quibus proprietates unius naturæ dicantur de altero in abstracto. Siquidem communicatio idiomatum in Christo provenit ratione identitatis suppositi utriusque naturæ, divinæ scilicet et humanæ, quod per terminos in concreto acceptos semper supponitur, atque denotatur; uti liquet in hæc propositione: « Homo est Deus, Deus factus est homo, Deus pro nobis est passus, » etc. Hæ enim prædicationes semper fiunt circa idem suppositum Verbi in Christo existens, licet aliam et aliam naturam; se proinde propter ejus identitatem verificantur. Secus est in supra dictis propositionibus in abstracto prolatis, quarum extrema non retinent rationem aliquam identitatis inter se; cum talem ex se ipsis non habeant simulque a supposito abstracto.

123. *Et hoc amplius declaratur, simulque limitatur.* — Insuper prædicata unius naturæ non possunt de altera enunciari cum signo reduplicativo cadente super illam alteram naturam. Hinc hæc propositiones sunt falsæ: « Deus qua Deus est homo: Deus secundum divinam naturam passus est: Christus quatenus homo est æternus, impassibilis, » etc. Hæ inquam propositiones sunt falsæ, cum dictio reduplicativa cadat super alteram incompetentem naturam: quæque nequam est ratio, cur Christo illa prædicata conveniant. Secus accidit, si dicatur: « Deus secundum assumptam naturam humanam pro nobis passus est; Christus qua Deus est æternus, immortalis, etc. Sive ut loquitur concilium generale proxime relatum: « Unigenitus Dei Filius Jesus-Christus, qui secundum divinitatem est immortalis, et impassibilis idem ipse secundum humanitatem factus passibilis, et mortalis, » nam in istis dictione reduplicativa afficit naturam competentem, sive illam, quæ Christo est ratio, cur ipsi conveniant ejusmodi prædicata.

124. Qui etiam pro salute humani, etc. —

« Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus, et mortuus, descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, et ascendit in cælum, sed descendit in anima, et resurrexit in carne: ascenditque pariter in utroque. » His verbis concilium generale confitetur quartum, quintum, sextum, et septimum articulum Symboli apostolici, de quo num. 57. et seqq. amplius dictum fuit. Ad majorem tamen eorundem articulorum explicationem addidit concilium posteriora verba: « Sed descendit in anima, » etc.

125. Venturus in fine sæculi, etc. — « Venturus in fine sæculi, judicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis: qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant: ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala; illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam. » His verbis concilium confitetur, majori tamen cum expressione, sive declaratione contentorum, articulum Symboli apostolici de adventu Christi ad extremum judicium, nec non de carnis resurrectione, et vita æterna justorum, una cum expressa mentione de perpetua impiorum punitione, quam Apostoli implicite solum in ultimo articulo comprehenderunt.

§ VII.

CONTINUATUR BREVIS EXPLICATIO SYMBOLI FIDEI, IN § UNA VERO EOD. CAP. ET TIT. RELATI.

126. *Qui articuli Symboli apostolici in hoc paragrapho contineantur?* — In hoc paragrapho concilium generale confitetur, et expressius declarat tres alios articulos symboli apostolici, nempe illos: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Unde tractat imprimis de Ecclesia, deinde de sacramentis ecclesiasticis, atque incremento novæ legis sacrificio: ac tandem de triplici statu fidelium, veluti vivorum membrorum Ecclesiæ Christi. Quantam igitur attinet primum inquit concilium.

127. Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. *Et hoc amplius declaratur, una cum num. seqq.* — « Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. » Concordat sanctus Cyprianus, in tract. *de unitate Ecclesiæ*, ac refertur can. *Loquitur*, et can. *Alienus*. 24. q. 1. in quo posteriori

loco sic ait: « Alienus est, profanus est, hostis est: habere jam non potest Deum Patrem qui Ecclesiam non habet matrem. » Quintimo sancti Patres passim hoc declarant exemplo arcæ Noe, extra quam regnante diluvio nullus hominum mortem evasit; ut sanctus Hieronymus in Epist. *ad Damasum papam* (ac refertur can. *Quoniam vetusto*, 24. q. 1.) ubi Ecclesiam catholicam arcæ Noe, comparans, subjungit: « Si quis in arcæ Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » Et sanctus Gregorius, lib. xxxv. *Moralium*, cap. vi. ac relatus in can. *Quia ex sola*, ead. 24. q. 1. loquens de Ecclesia catholica, inquit: « Sola est quæ intra se positos valida charitatis compage custodit: unde et aqua diluvii arcam quidem ad sublimiora sustulit, omnes autem, quos extra arcam invenit, extinxit. »

128. *Catechumeni possunt salvari; et quomodo ipsi sint in Ecclesia?* — Nec obstat, quod juxta sanctus Ambrosium in concione funebri *de obitu Valentini*, § *Sed audio*, aliosque sanctos Patres, et Theologos, catechumeni possint salvari, et multi salventur, qui tamen per sacramentum baptismi necdum sunt ingressi Ecclesiam; ut liquet in martyribus proprio sanguine baptizatis. Ref. p. enim, dictum illud, quod nullus omnino salvetur extra Ecclesiam, intelligendum esse de illis, qui nec re, nec voto sunt in Ecclesia: catechumeni autem licet per januam sacramenti baptismi, actu recepti, necdum sint ingressi Ecclesiam, nihilominus voto jam sunt in Ecclesia. Et hoc sufficit ad id, ut salvari possint, non minus ac baptismus in voto susceptus; mediante quo, si desit occasio recipiendi sacramentum baptismi, posse hominem salvari patet tum ex concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. tum ex pluribus locis juris canonici, ac præsertim ex c. *Veniens. de Presbyt. non baptizat*. ibi: « Cum quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi. » Proinde haud immerito sanctus Augustinus tract. IV in *Joan.* dicit. catechumenos esse in Ecclesia. Intellige, non re (sic enim ibidem separat eos a fidelibus, cum actu per receptum sacramentum baptismi, necdum sint ingressi Ecclesiam) sed voto, quod sufficit, ut salvari possint.

129. *Solvitur instantia.* — Neque dictis obsistit similitudo arcæ, extra quam regnante diluvio nemo salvabatur, licet voto fuerit in ipsa. Tum quia similitudines sæpius claudicant, neque conveniunt in omnibus. Tum quia ip-